UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Svmma Privilegii Cæsarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

SVMMA PRIVILEGII CÆSARII.

FERDINANDUS TERTIUS Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex: Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & *VVittenbergæ*, Comes Tyrolis, &c. Notum facimus *tenore* præſentium univerſis, quod cum Nobis Noſter & Sacri Imperii, fidelis dilectus *Ioannes Buſæus* Civis & Bibliopola Colonienſis humillimè expoſuerit ſe Librum quendam: cui titulus *Summa Antonini Dianæ* Panormitani Clerici Regularis, coram S. D. N. Vrbano VIII. & Innocentio X. Epiſcoporum examinatoris &c. Opera omnia undecim partibus comprehenſa excudendum dare decreviſſe: vereri autem, ne, quod fieri ſolet, Typographi queſtus cauſa, hanc editionem ſuam imitentur, ideoque demiſsè Nobis ſupplicavit, ut indemnitati ipſius conſulere atque adverſus eiuſmodi periculum Privilegio Noſtro Cæſareo munere dignaremur: Noſque id genus precibus, uti equitati conſentaneis benignè annuendum cenſuerimus, prout per præſentes annuimus. Idcircò omnibus ac ſingulis Typographis, Bibliopolis, aliiſque quibuſcumque librariam Negotiationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prædictos libros per ſex annorum ſpatium, à primâ editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperii Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum Hæreditariorum fines, ſimili aut alio quovis typo vel forma, ſive in toto ſive in parte recudere, vel alio recudendum dare, vel etiam alibi impreſſum vendere, vel diſtrahere, clam, palá, citra voluntatem & abſque ipſius *Ioannis Buſæi* in ſcriptis obtenta licentia, præſumat. Si quis verò ſecus faciendo Privilegium & interdictum hoc Noſtrum Cæſareum ſpernere, negligere aut tranſgredi auſus fuerit, eum non modo huiuſmodi libris perperam quippe recuſis & adductis, ſi quos quidem prædictus *Ioannes Buſæus* ubicũque deprehenſos ſive propriâ auctoritate, ſive Magiſtratus illius auxilio ſibi vendicare poterit: de facto privandum ſed & pœnâ inſuper decem marcarum aurei puri fiſco Noſtro Cæſareo fraudis vindici vendenda, omni ſpe noxiè ſublata, decrevimus mulctandum uti latiùs patet in litteris datis Viennæ die 21. Decembris An. 1655.

V.t FERDINANDVS
Com. Curtius.

Ad mandatum Sac. Caſ. Maieſtatis proprium
I. VValderode.

SVMMA